

Postremò id ratio evincit, quia Pater Filio communicat omnia, in quibus ei non opponitur, at non oppositur ei, quã spirat vel emittit Spiritum S. sed tantum quã gignit Filium, igitur vis illa spirandi utriq; communis, modus verò illius nobis planè ἀπρόβλητος & imperscrutabilis est.

XLII.

Unus igitur essentia ἀληθινός Deus, Joh. 17. 3. In confuse Trinus in unitate, indivise unus in Trinitate. Cui illud Sanctus, Sanctus, Sanctus, Seraphini accinuerunt, Patriarchaq; Moses & Propheta, Evangelista & Apostoli inservierunt, ut creatori cæli & terra, Deo Abrahæ Isaaci & Jacobi, qui Pater Filius & Spiritus S. Sicut suis nominibus Christus distinxit, & nos non in nominibus, sed in nomine, ut trium unitas significetur, baptizamur, ceu videre est, Matth. 28. 19.

XLIII.

Hæ autem Personæ, ab essentia, distinctione ea, quã modus rei à re cuius est modus, distinguuntur. Quia persona non est alia substantia ab essentia diversa, ut quartum quid inde velis somniare, veluti Sophista calumniosè quirit àtur: Sed ipsamet essentia, in qua illa subsistit. Itaq; natura sive essentia Dei tribus Personis non est anterior aut exterior, sed communis, imo eadem & individua, quia extra essentiam nullæ sunt Personæ, & extra Personas divinas nullæ est essentia.

XLIV.

Insuper in qualibet Persona ipsa tota est essentia; Et quidem multò excellentius, quam humana in nobis. In singulis enim hominibus finita censetur, quæ causa est ut etiam multi sint Homines, eoque divisi, & potius ὁμοιωτικοὶ quàm verè ὁμοιοτικοὶ: In singulis a. Personis divinis infinita & eadem. Quid enim Persona aliud est, quam ipsamet tota divina essentia sive deitas vel divinitas? Ut porro sunt ὁμοιοτικοὶ sic & sunt συνωνυμοὶ. Quæ tamen non simpliciter accipienda velim: In qualibet enim Persona sic tota essentia est, ut nihilominus

lominus